



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P.|| VINCENTII|| BRVNI, SOCIE-||TATIS IESV,|| BREVIS  
TRACTATVS|| DE SACRAMENTO|| POENITENTIAE,**

**Bruno, Vincenzo**

**Coloniæ Agrippinæ, 1598**

**VD16 B 8664**

Circa VIII. Praeceptum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59993](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59993)

POENITENTIAE. 35

alienare, vt cum filijs familias, &c.

An defraudauerit gabellas iustas.

An simoniam aliquam commiserit, quocunq; modo.

An Ecclesiam priuauerit decimis & alijs quæ ei debebat.

An per media illicita vel malas informationes obtinuerit rem aliquã, quæ nullo iure ei obueniebat, vel an alios impediuerit iniuste, quo minus bonum aliquod vel lucrum cõsequerentur.

An auxilium vel consilium dederit, vel alio quocunq; modo participauerit cum raptoribus rei alienæ, vel cum possit & deberet, non manifestauit, nec impediuit latrocinium.

CIRCA VIII. PRAE-  
ceptum.

*Non loqueris falsum testimonium.*

**A**N falsum testimonium dederit in iudicio vel extra, vel alios ad illud induxerit.

An mentitus sit cum præiudicio, & damno notabili proximi.

An famæ alicuius detraxerit, vel falso imponendo aliquod crimen, vel nimium aliorum vitia exaggerando.

B 7      An



An in re graui murmurauerit de vita aliorum, maximè hominum honoratorum, vt sunt Prælati, religiosi, & honestæ fœminæ.

An aures facile præbuerit detrahentibus & murmurantibus de proximo.

An manifestarit alicui peccatum aliorum occultum & graue, vnde secuta est infamia.

An secretum sibi commissum reuelarit, vel an reuelarit, quod in secreto vidit vel audiuit.

An aliorum literas aperuerit, malo fine.

An temerarium aliquod iudicium habuerit de factis vel dictis proximi, interpretando in deteriorem partem, quod poterat accipi in bonam, & condemnando eum in corde suo de peccato mortali.

An animo obligandi se, aliquid alteri promiserit, & postea sine causa legitima promissionem non seruauerit: quod est peccatum mortale, quando res que promittitur, est alicuius momenti, aut propter defectum promissionis consequitur aliquod damnum proximi.

*De peccato superbiæ.*

**A**N iudicauerit se bona quæ habet, corporis, animi & fortunæ, non habere à Deo, sed à se, & sua industria, aut si quidem iudicat se illa habere à



Deo, sed tamen præsumit se proprijs meritis sine diuina gratia accepisse, non dando per omnia gloriam Deo.

An vanè existimauerit se habere virtutem, quam non habet, vel se esse qui non est, vel plus esse, quam est, contemnendo alios tanquã sibi inferiores.

An gloriatus sit in re aliqua, quæ sit peccatum mortale, vt quod se vindicauerit, vel aliud peccatum patrarit.

An, vt magnifieret, iactauerit se de aliquo bono, vel de aliquo malo à se perpetrato, id que (siue verum sit, siue falsum) cum iniuria Dei vel proximi.

An fuerit ambitiosus, inordinatè desiderando honores & dignitates, & idcirco quædam fecerit, quæ nõ debebat.

An, ne parui fieret ab alijs, fecerit aliquid quod non debebat, cum scãdalo proximi, aut omiserit facere quod debebat, vt, corrigere vel reprehendere alios, conuersari cum bonis, confiteri, aliaq; opera Christiana exercere.

An pertinaciter veritatẽ impugnauerit, vel ne se humiliaret, aut videretur victus, manserit obstinatus in defendendis contra conscientiam erroribus manifestis.

An per arrogantiam alios contempserit, faciendo aliquid in eorum dedecus & contemptum, An



38 DE SACRAMENTO

An ex fastu & superbia nimios sump-  
tus fecerit in vestiendis famulis, & in  
alijs vanitatibus suo statui non con-  
uenientibus.

DE ALIIS PECCATIS

*Mortalibus nihil hic dicetur, eo quod  
satis de ijs dictum est in De-  
calogo.*

PRæter hæc omnia, qui habent ali-  
quod officium, gradum, vel Exerci-  
tium particulare, se examinabunt de  
defectibus & peccatis, quæ in tali sta-  
tu vel exercitio singulatim possunt cõ-  
tingere, secundum obligationem quã  
quisque in ijs habet.

MODI QUIBVS HOMO

*participat de peccatis alienis his  
versibus continentur.*

*Consulo, precipio, consentio, prouoco, laudo  
Non retego culpam, non punio, non repre-  
hendo,*

*Participo, protego que, meum in caput ista  
redundant.*

*Hoc est, An malum consilium dede-  
rit, vel auctor fuerit alteri, vt malum  
committeret.*

AN